



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtrum prædicta oratio sit competens forma huius sacramenti? 9

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

sic quod nullum effectum consequatur. Et propter hoc non est simile de hoc & de alijs sacramentis, in quibus semper aliquis effectus consequitur.

Ad secundum dicendum, quod per ipsum actum, qui ponitur in forma (scilicet, per istam sanctam vocationem) satis exprimitur intentio.

Ad tertium dicendum, quod verba illa indicatiui modi, quæ secundum morem quorundam præmittuntur orationi, non sunt forma huius sacramenti: sed sunt dispositio ad formam, in quantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba.

ARTIC. IX.

Virum prædicta oratio sit competens forma huius sacramenti?

Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod prædicta oratio non sit competens forma huius sacramenti. Quia in formis aliorum sacramentorum fit mentio de materia (sicut patet in confirmatione) quæ non fit in prædictis verbis. Ergo non est conueniens forma.

¶ 2. Præterea, sicut effectus huius sacramenti prouenit in nos per misericordiam diuinam, ita & aliorum sacramentorum. Sed in formis aliorum sacramentorum non fit mentio de misericordia diuina, sed magis de Trinitate & Passione. Ergo similiter debet hic esse.

¶ 3. Præterea, duplex effectus huius sacramenti in litera ponitur. Sed in verbis prædictis non fit mentio nisi de vno, scilicet remissione peccatorum, non autem de corporali sanatione, ad quam Iacobus ordinat orationem fidei, dicens, Oratio fidei saluabit infirmum. Ergo forma prædicta est incompetens.

RESPONDEO dicendum, quod prædicta oratio est competens forma huius sacramenti: quia tangit sacramentum, in hoc quod dicitur, Per istam sanctam vocationem: & illud quod operatur in sacramento, scilicet diuinam misericordiam; & effectum, scilicet remissionem peccatorum.

Supplementum.

R.

Ad

119

Conc. Florent. in doctr. de sacram.

lib. 4. scilicet. d. 23. §. B

\* in arg. 2. preced. art.

Ad primum ergo dicendum, quod materia huius sacramenti potest intelligi per actum vñtionis, non autem materia confirmationis per actum in forma expressum: & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod misericordia respicit miseriam: & quia hoc sacramentum datur in statu miseræ, scilicet infirmitatis, ideo potius hic quam in alijs fit mentio de misericordia.

Ad tertium dicendum, quod in forma debet exprimi effectus principalis, & qui semper inducitur in sacramento, nisi fit defectus ex parte recipientis. Non autem talis effectus est corporalis sanitas, ve dicitur \*, quamvis quandoque sequatur: ratione cuius Iacobus hunc effectum attribuit orationi, quæ est forma huius sacramenti.

q. sequenti  
ar. 2.

† Concil.

Trid. sess.

14. de sa-

crum. ex-

trema vñ-

tionis, c.

2.

## QVÆST. XXX.

De effectu † huius sacramenti, in tres articulos diuisa.

**D** Binde considerandum est de effectu huius sacramenti.

¶ Circa quod quærentur tria.

¶ Primo, utrum extrema vñtio valeat ad remissionem peccatorum?

¶ Secundo, utrum sanitas corporalis sit effectus huius sacramenti?

¶ Tertio, utrum hoc sacramentum characterem imprimat?

## ARTIC. I.

Utrum extrema vñtio valeat ad remissionem peccatorum?

120

Thom. 4.

d. 23 q. 1.

ar. 2. q. 1.

& seq.

**A**D primum sic proceditur. Videtur, quod extrema vñtio non valeat ad remissionem peccatorum. Ad hoc enim quod per vnum potest effici, aliud non exigitur. Sed in eo qui extremam vñtionem accipit, requiritur penitentia ad peccatorum remissionem. Ergo per extremam vñtionem non dimittuntur peccata.

¶ 2. Præerea, In peccato non sunt nisi tria, macula,